

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis Constantiensis

Constantiae, 1686

De sepultvra parvulorum

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)



DE SEPLTVRA PARVULORUM.

Icet Parvuli, qui post Baptismum ante annos discretionis, hoc est, cum bonum à malo moraliter discernere possunt, eripiuntur, oratione Ecclesie non indigeant, nequè pro illis Sacrificia sive Altaris, sive aliarum Elemosinarum sint facienda, cum propter adeptam innocentiam baptismalem omni prorsus culpà careant, & puri ac immaculati stent ante thronum Dei, nihilquè sit, quod eos ab ingressu cali retardare possit; nihilominus eorum funera & corpuscula, utpote quibus sanctus infusus fuit Spiritus, juxta vetustam & laudabilem Ecclesie consuetudinem officiosa pietate sunt curanda, & cum aliquibus exequijs ac psalmis sepelienda juxta ordinem infra ponendum.

Si autem alicubi pia consuetudo obtineat, ut in sepeliendis talibus parvulis alia, & plures pie ceremonie, quàm hic ponuntur, adhibeantur,

Pp

aut

aut in talibus sepulturis aliqua quacunque deinde sint, sacrificia à fidelibus offerantur, ea non improbat: admonendi tamen sunt fideles, ne illa pro parvulis, sed occasione horum ijs defunctis, qui precibus Ecclesie indigent, offerant.

Procurandum insuper foret, ut talium parvulorum corpuscula in communibus & promiscuis cameteriorum & Ecclesiarum sepulturis non sepelirentur; sed ut pro illis in Parochialibus Ecclesijs aut illarum cameterijs, quatenus commode fieri potest (nihil enim in hoc puncto precipitur) speciales & seperati ab aliis loculi & sepultura in loco sacro haberentur, aut fieri curarentur, in quibus alii non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt.

Parvuli verò, sive quicumque alij, qui ex hac vita sine Baptismo migrant, in loco sacro sepeliri non debent, neque ipsis oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi aliquod officium impendi.



ORDO